



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10261**

De S. Amelberga vidua.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

torum suscipere communionem. Constantius verò: Vide, inquit, ô Episcopo, (congregatur enim Concilium Episcoporum) nè eum inuitus suscipias. Postquæ surgens exijt Põrifex, & cum ad Dei accessisset ecclesiam, cum suspirijs & lachrymis ad Deum clamauit, nè propter Arrii irreptionem permittat gregem suum dissipari. Totaque nocte sub altari à Pontifice peracta fuerat precatio.

Precib<sup>9</sup> suis  
Alexander  
Episcopus  
interficat  
Arrium.

Eusebius autem, vt qui impietatis esset amator vehemens, accedit ad Arrium cum caterua hæretica, & iubet procedere ad synodum, quæ ei, vel inuito Alexandro, redderet iniuste ablatam sacerdotij dignitatem. Erat itaque in ciuitate tumultus & perturbatio propter ea, quæ mouebantur, alijs quidem Arrio fauentibus, alijs verò prodicionem pietatis non ferentibus. Congregatus itaque erat coetus in Ecclesia: & vnà cum ijs, qui erant eiusdem sententiæ, procedens Arrius, cum ex equo descēdisset, quædam publicas ingreditur latrinas, quæ constructæ fuerant post forum Constantini: Et cum egeret, cum stercorebus quidem intestina, cum intestinis autem animam quodque miser simul abiicit. Cum autem moraretur diutius, & quod factum fuerat, tegeter ignoratio, fama est properè insiluisse Eusebium, & diurnam quidem moram ei exprobrasse, exprobrasse verò etiã illius in eos cõtumeliam. Quod enim neq; loquatur, & tantoperè moretur, id arguit, eos ab ipso haberi loco seruorum. Is autè magis eò quod mutus esset, quàm quod diu moraretur, eos latuit pudore afficiens. Sed mutatus Eusebius, iubet eum bono & fidenti animo surgere: eum enim expectari ab vniuersa synodo ad declarandam eius innocentiam. Is autem extremũ silebat silentium, vixque infelix animaduertit Eusebius, eum, cui studebat, esse mortuum.

Cap. 13.  
Eusebi<sup>9</sup> propo-  
situs Ar-  
rii fautor.

Horrenda  
Arrii mors.

Soluatur ergò synodus, & qui Alexandrum condemnabant exilio, impijs abiectis calculis, videntes hæresis suæ duces descendisse ad inferos, magno luctu tenebantur. Cum autem propter plagam diuinitus illatam aliquantisper erubuissent, rursus in sua coibant conciliabula, & Dei iram in Arrium ostensam, ad cõmunem mortem referre contendebant. Atqui etiam si mors communis ei illata eo tempore, quando eum studebant inducere in Ecclesiam, mutata sit in nouam mortem & illatam diuinitus, Constantio tamen mancipio persuaferunt, quod debitum naturæ reddiderit Arrius, non autem ira diuina pœnas luerit. Sed ille quidem miser precibus Alexandri sic vita excessit mirabiliter. Diuinus autem Alexander paulò post sanctè, & vt sanctũ decuit, pro terrenis caelestia fortitus est tabernacula, cum viginti quidè & tres annos in Episcopatu transgisset, vixisset autem nonaginta & octo annos, In Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria & potentia in secula seculorum, Amen.

Cap. 14.

Moritur di-  
uinus Ale-  
xander Epi-  
scopus.

## VITA S. AMELBERGÆ VIDVÆ, MATRIS S. GVDILÆ VIRGINIS, VT IN MS. CODICI- bus habetur. Stylum mutauit F. Laur. Surius



BEATA Amelberga illustrissimis orta natalibus, sed quæ ipsos natales morum integritate ornaret, \* Sanctas oppidum ceu domina hæreditario iure obtinuit, donèc monasticæ religionis beatitudinem complexa est. Parentum verò orbata solatio, licet tenera adhuc esset ætate, familiam hæreditaria successione ad ipsam deuolutam, peruigili cura & multa comitate gubernauit: non quod seruorum aut ancillarum numerosa turba, quam mortales in præcipuis bonis numerant, delectaretur, sed quod iniquum censeret, si paternas opes auarè sibi vni vendicans, quenquam illorum fame & inedia cõfici pateretur. Non

Multam fa-  
miliam, ad-  
huc adole-  
scētula, stre-  
nuè guber-  
nat.

erat illa dedita iocis puellaribus, non amatorijs capiebatur cantilenis, non quæuis ludicra aut friuola vel videre vel audire cupiebat: sed cum Maria ad pedes Domini residens, quid actura esset, habitu & actu præ se ferebat. Interim totius boni hostis diabolus, puellæ admirans continentiam, eius parentes sollicitat, vt nuptui eam collocent. Indicatur igitur renitenti maritus, & tandem à Pipino, S. Gertrudis virginis parente, Vuitgero homini præpotenti coniunx traditur, generis nobilitate pari, nec dispari meritis

Luc. 10:

Nubi Vuit-  
gero.

Ex ea verò natus est beatus \* Aldebertus Cameracensis ecclesiæ præsul sanctissimus, cuius gesta plena miraculis & virtutibus, vsque in præsens in eadem florent ecclesia:

\* Idem vocatur etiam  
Embertus.

clesia: itemque quatuor Deo dicatae forores, Reinildis, Pharaildis, Ermelendis & Gudila: quarum postremam, nempe Gudilam, cum vtero gestaret, & ante paucos puerperij dies instar parturientium angeretur, angelica consolatione recreata est, dicente angelo ad eam: Nè timeas Amelberga. Lachrymæ & preces atque elemosynæ tuæ affcenderunt ad Dominum. Paries filiam Deo dilectam, summæ continentia & castitatis integritate conspicuam, quæ omnibus vitæ suæ diebus Deo gratum exhibebit famulatum. Post eam verò nullam deinceps conceptura es prolem: sed in castitate perseverans cum marito tuo, mutatis vestibus & monastico sumpto habitu, ambo vosmetipsos gratas Domino hostias immolabitis, & in sancta conuersatione vsque in finem perdurabitis. Fliam autem Gudilam, vbi ea nata fuerit, Gertrudi offeres è salutari lauacro suscipiendam, & in Christo, lacte verbi Dei, vt Apostolus monet, enutriendam. Tum illa: Gratias, inquit, tibi ago Domine Iesu Christe, qui pro mea consolatione angelum tuum sanctum è caelis mittere dignatus es. Cum autem filia eius ab infantia vitam castissimam ducere constituissent, licet multi regni proceres propter nobilitatem & opes, illas sibi matrimonio iungi percuperent, maluerunt virginis tenere propositum, & sponso immortalis Christo Iesu adherere potius, quam mortalium hominum coniugijs copulari.

Placuit verò etiam parentibus illarum, mundo valefacere, quò liberiùs possent vni Domino Iesu Christo militare. Et Vuitgerus quidem princeps sapientissimus, vt erat ab angelo prædictum, monastica vitæ institutum complexus est: porrò Amelberga sacrum velamen accepit ab S. Autberto Cameracensi Episcopo, & se totam Domino consecrauit: & sicut ab incunte ætate moribus bonis composita fuit, ita iam porrò in opera pietatis & sanctitatis studia attentius incumbere decreuit. Moxque totis viribus ita se comparare connitens, dictu incredibile est, quanta se abstinentia affecerit, quam assidue inedia & precibus corpusculum suum maceraret. Sed cum in dies magis ac magis carnem domaret, & roboraret spiritum, Dominus tantis laboribus finem imponere voluit. Itaque acerrima correpta febre, id quod optabat, consecuta est, nempe vt posset cum Domino inseparabiliter coniungi.

Sentiens autem prudentissima foeminarum, diem vocationis suæ adesse, quasi quæ humana despiceret, & ad suos iam inuitaretur, vsque ad supremum spiritum hocse versiculos susurrabat: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Et cum reddidisset spiritum, sancta illa anima ab angelicis spiritibus in caelum deportata est. Tota ad eius funus Malbodiensis turba accurrit: omnis inopum coetus matrem & nutriculam se perdidisse lamentabatur. Tanta verò dignitas eius ora compleuerat, vt nemini posset esse ambiguum, illam ærumnas beatitudine, labores requie commutasse. Sed quia id temporis Malbodij nulla spectabilis persona humata erat, ne ipsa quidem beata Aldegundis, quæ locum illum à fundamentis extruxerat, maiores natu ecclesiæ, quid faciendum esset, inter se consultabant: & quoniam loco sanctissimum corpus terra condendum, tractabant, nihil interim certi statuentes. Tandem id illis consultissimum visum est, vt in Lobienfi monasterio tumularetur: in quam sententiam omnes pedibus ierunt. Per id verò tempus in Lobienfi monasterio non minima erat fratrum congregatio, Deo ad præscriptum regulæ S. Benedicti militantium, florebatque illic cultus diuinus & religio sanctitatis, & permulta beatorum Christi confessorum ibi quiescentium corpora, magnam illi reuerentiam conciliabant. Itaque beatissimum S. Amelbergæ corpus cum ea, qua par erat, veneratione elatum est, sanctimonialibus cum hymnis & canticis illud prosequentibus, atque in Lobienfe monasterium importatum. Vbi tum ab Abbate & fratribus cum multa deuotione exceptum est, & in ecclesia sanctissime genitricis Dei & beatorum Christi confessorum Vrsuarii & Ermini, cum cæteris plurimorum sanctorum pignoribus, sepulturae mandatum. Quanti autem apud omnipotentem Deum meriti sit, testantur abundè ad eius monumentum diuinitus in multorum malè valentium curationibus edita miracula. Obdormiuit in Domino Christi famula Amelberga sexto

Idus Iulij: regnante eodem Domino nostro Iesu Christo  
vnà cum patre & spiritu sancto per infinita  
secula seculorum, Amen.

DE S.

Angelus ei  
apparet.

1. Cor. 3.

Filia eius  
virgines p-  
manent.

Vuitgerus  
princeps fit  
monachus,  
& Amelber-  
ga monialis

Inedia eius  
& preces.

Pfal. 23.  
Amelberga  
decedit.

Lobienfe  
monasteri-  
um.

Multa ad  
eius monu-  
mentum mi-  
racula.